



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

II. Argumenta contraria soluuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

CAPVT II.

Argumenta contraria solvuntur.

7 **Q**uodnam sit illud esse diminutum, ac secundum quid ab omni ente reali distinctum, in quo carentias collocauimus, amplius elucescet ex solutione eorum argumentorum, quæ in contrarium confici possunt, & solent. Obiicies igitur primo. Carentia lucis, verbi gratia, merè possibilis transit ab eo statu possibilitatis ad statum existentia, quantulacunque ea existentia sit: igitur habet aptitudinem ad esse, siue existere: igitur est ens reale saltem imperfectum, cum hoc aptum esse ab omnibus definiatur. Obiicies secundo: carentia prout condistinguitur à quouis alio est vna vera, ac bona: ergo habet omnes proprietates entis realis, atque adeo ens reale est. Consequentia perspicua est. Antecedens facillè ostenditur: siquidem carentia vnus malipositui alicuius doloris verbi gratia, vna tantum est bona etiam ac vera est, cum amabilis, & verè cognoscibilis sit. Obiicies tertio. Si carentia esset quid negatiuum medium inter ens reale & rationis, & ab utroque realiter distinctum, darentur in rerum natura infinitæ eiusmodi carentiæ, cum entia realia non existentia infinita sint. Consequens autem absurdum est: siquidem infinitum de facto dari omnes negant, ac supernaturaliter etiam posse dari plures inchoantur. Obiicies quarto. Essentia, siue possibilitas intrinseca Petri est indifferens ad esse: nec magis ad vnum, quam ad alterum: igitur æquè est distincta ab esse, & non esse; nec magis ab vno, quam ab altero. Qua ratione materia prima, quia est æquè indifferens ad formam equinam, & leoninam, verbi gratia, ex æquo ab utraque, & non magis ab vna, quam ab altera distinguitur: cum igitur essentia, ac possibilitas intrinseca rerum ab eorum esse tantum virtualiter distincta sit, certè ab earum non esse tantundem, & non amplius distingueretur. Obiicies tandem. Carentiæ respectiue, quibus aliæ res ab aliis distinguuntur, virtualiter tandem distinctæ sunt à complexo plurium entium realium, eorum videlicet quæ inuicem excludunt, atque secerunt: pari ergo ratione carentiæ absolutæ, quibus res non esse dicuntur, virtualiter tantum distinctæ erunt ab aggregatione aliqua plurium entium realium.

8 **A**d primum argumentum respondeo: carentia transit à possibilitate ad existentiam, quæ tamen non simpliciter, sed secundum quid existentia sit: cum igitur ens simpliciter sumptum definiatur aptum esse simpliciter, non est, cur carentia gradum aliquem entis simpliciter sumpti obtineat. Quatenus autem existentia carentiæ simpliciter, ac propriè non sit, trifariam explicari potest: namque in primis, illud cuius totum esse est non esse alterius, simpliciter ac propriè esse non est; & non tam ens, bonum, quam non ens, & malum dici meretur: totum autem esse carentiæ est non esse alterius. Deinde illa sola existentia est simpliciter talis, quæ alicuius actiua est, vt insinuat Dionysius cap. 8. de diuinis nominibus ibi: *Quod virtualiter nullam habet virtutem, neque est, neque erit aliqua ipsius omnino positio*: cum ergo esse, siue existentia carentiæ non actiua, sed potius destructiua sit, mirandum non est, quod eius existentia, ad quam à statu possibilitatis transit, minimè sit existentia positiua, aut simpliciter talis. Rursus tertio: possibilitas intrinseca creaturarum, tamen ab æterno,

& necessario quodammodo detur, seipsa non est simpliciter existentia: videlicet quia totum eius esse est mera quædam aptitudo ad alterius esse: à fortiori igitur esse illud carentiæ non necessarium, sed contingens simpliciter, ac propriè esse non erit, cum sit mera ineptitudo ad alterius esse.

9 **A**d secundum argumentum respondeo: carentia quemadmodum est ens secundum quid, ita etiam est vna, vera, ac bona duntaxat secundum quid: quod autem sit indiuisa, amabilis, & cognoscibilis, in contrarium non obstat: siquidem ea sola indiuisio, amabilitas, & cognoscibilitas est vera, ac propria vnitas, veritas, & bonitas, quæ cum aliqua entitate simpliciter tali realiter identificatur, atque in ea radicatur. Quid? quod argumentum instatur in ente rationis, quod vnum ens rationis, & plura est: quod etiam verè cognoscibile est: & quod interdum rectè amabile est: vt cum Angeli, si corporei essent, castitatem amant: at iis non obstantibus ens rationis propriè, ac simpliciter ens dici non potest. Ad tertium argumentum respondeo, infinitas carentias actu non repugnare, quia tota illa infinitas est secundum quid: sic infinita possibilia à parte rei simul non repugnant, sed potius de facto, quæ talia de facto dantur: quia infinitas possibilem, vt præcisè talium, est infinitas secundum quid: sic etiam infinita pluralitas actuum diuini intellectus, & voluntatis, qui ad infinita obiecta creata feruntur, minimè repugnat: quia illa infinita pluralitas est tantum secundum quid, defectu distinctionis realis inter eos actus: sic etiam partes continui infinitæ, & innumerabiles sunt, quia tota illa infinitas non determinata, sed indeterminata, & proportionalis est.

10 **A**d quartum argumentum respondeo essentiam Petri aptitudinalem utique, siue possibilitatem eius distinctam ab omnipotentia Dei, atque hoc sensu intrinsecam, de qua sola sermo in argumento, re vera esse indifferentem vt Petri esse vel non esse detur: quare si distingueretur tantum virtualiter ab vno extremorum eius indifferentiæ, nempe ab esse, siue existentia Petri, tantundem & non amplius foret distincta ab altero, videlicet à non esse Petri, siue eius carentia, adeoque cum hac realiter identificaretur. Ceterum verius est eiusmodi essentiam aptitudinalem, siue possibilitatem distingui non virtualiter tantum, sed realiter ab existentia Petri: vt probatum est à nobis suprà libro secundo, huius operis tractatu 1. cap. 1. & 2. Quod si fieret argumentum in essentia Petri actuali, facillè dici posset hanc non perinde esse indifferentem ad esse, & non esse: quin potius eam exercere & actualiter sumptam separari non posse ab esse, cum interim sit separabilis à non esse, siue carentia sui. Ad postremum argumentum respondeo, propterea carentiæ respectiue virtualiter tantum distinguuntur à complexo plurium entium realium, quia eiusmodi complexum entitas, verbi gratia, Petri, & Pauli simpliciter reperiri nequit sine carentia respectiua; seu, quod perinde est, sine distinctione reali: neque etiam è conuerso ea distinctio sine extremis distinctis reperiri potest: at complexum diuinæ notionis, & existentia possibilis Petri, in quo solo sita esse potest eius carentia absoluta, sine ea in aliquo instanti reperiri, & ab ea simpliciter separari potest: in eo videlicet instanti, in quo Petrus actualiter existit: ac proinde hoc posterius complexum à carentia absoluta realiter distinguitur.